



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXVIII. De restitutione in integrum adversùs rem judicatam; Ac
etiam de remedio nullitatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

DE IUDICIIS

172

matione eius, quod alter Judex sententiavit, vel de-
crevit, dum in hac parte, munus, vel figuram ex-
equitoris, juris, gerere videtur, ideoque summaria
cognitio sufficit.

Praesupposita itaque legitima transportatione
actorum, atque servatione illorum terminorum,
qui pro natura, seu qualitate causae servari debent;
Quatenus pertinet ad modum sententiandi; Verè,
& propriè partes Judicis appellationis, vel ulterio-
ris instantias sunt confirmandi, vel infirmandi id
quod alter Judex fecit; *Scaccia de appell. quest. 10-*
num. 17. & seqq. cum aliis de quibus infra. Quoties
non contingit, quod in negotio principali gerat
potius partes Judicis prima instantia, ut sequitur
in casu in quo, causa ad eum devoluta sit per ap-
pellationem legitimè interpositam ab aliquo de-
creto interloquitorio gravante, ut supra.

Quare regula est, quod sententia lata contra a-
liam sententiam, continere debet istius revocatio-
nem, si minus invalida reputatur. Nisi prioris nulli-
tatis adeò clara & certa sit, ut per implicitam cir-
cumscriptiōnēm, tanquam in prima pronunciatiōnē
fuerit, *Cavaler. decif. 3. Buratt. decif. 59. decif. 188.*
par. 5. rec. decif. 305. par. 6. rec. 26. & 303. par. 7.
Bich. decif. 370. & 408. cum aliis de quibus infra, & in
bis habentur declarationes.

Clarius verò, ubi ex Signaturæ judicio id pro-
veniat, unde propter ea causa commissa sit, cum tali
clausula, que explicitè, vel virtualiter id importet,
quoties agatur de sententia infirmante vel revo-
cante id, quod per Judicem prioris instantiae ge-
stum sit.

Ubi verò agatur de approbatione, vel confirmatione; Tunc duplex intrat inspectio; Primo nempe,
an confirmare possit in pluri; Puta quia Astore pe-
tente centum, & Judice decernente quinquaginta,
possit alter Judex appellationis decernere integra
centum; Et secundò posito quod prior sententia sit
justa, sed aliquo labore vitio nullitatis circa ordi-
natoria, vel etiam sit injusta, quia excessiva in parte,
an tenetur præcise Judex appellationis illam infir-
mare ob dictum assumptum, quoque pars sunt
in confirmando, vel infirmando; Vel possit refor-
mare, sive procedere tanquam in prima, validè de-
cernendo idem, quod alter Judex invalidè, licet ju-
ste decreverat.

Quatenus pertinet ad primum punctum; Regu-
la est affirmativa ratione adhesionis, qua appella-
to concedit, quod scilicet quamvis ipse non ap-
pellaverit, attamen possit adhævere appellationi in-
terposita per alteram Partem quam impedit ne sen-
tentia transeat in judicatum, ideoque sicuti appel-
lanti liberum est petere confirmationem, ita appella-
to petere supplicationem.

Et quamvis DD. pro consuetis legalibus subti-
litatibus, vel superstitionibus id restringere soleant,
quatenus nempe adhesione infra tempus ad appellan-
dum facta sit, ut ita speciem appellationis redoleat;
Ac etiam quatenus appellatione simpliciter interpo-
sa esset; Secus autem si in parte & paribus odiosis,
acceptando partes favorabiles; Attamen Curia Ro-
mana, non de facili immoratur in his rigoribus,
sed commendabiliter, iustitia, ac veritatis substi-
tutiam attendit; Ideoque ubi de iustitia videatur,
quod supplicationi locus esse debeat; Tunc rectè Ju-
dex appellationis id faciet. *Surd. decif. 143. Gregor.*
& add-dec. 223. Rovit pragm. 1. de appell. Scacc. qu.
17. limit. 2.

Quo verò ad alterum punctum, proceditur cum

distinctione, quod; Aut nullitas est clara &
certa, atque de ea exprestè oppositum est in actis in
principio cause cum protestatione, ut ante omnia
procedi debeat ad confirmationem, & ne altera Pars
audiri valeat, nisi renunciet illis actis nulliter gestis,
atque expensas reficiat; Et tunc Judex appellatio-
nis teneat annuere petitis, neque possit alia age-
re; Aut verò nullitas est probabiliter dubia; Sive de
illa non est oppositum, nisi in fine post causam in-
structam, & discussam coram Judice ad quem; Et
tunc licitum sit unico contextu, atque in eadem sen-
tentia, infirmare primam tanquam nullam, sed jux-
ta eius conformitatem sententiare, tanquam in pri-
ma, sive illam reformare; *Coccin. decif. 206. add. ad*
Gregor. decif. 176. Seraphim. decif. 857. & 878. Bich.
decif. 468. 511. & 552. decif. 380 par. 9. rec. & in a-
lis. I Itaque est frequentior praxis, (& laudabiliter
quidem) cum abhorri debent hujusmodi inanes
circuitus, neque de facili admittendis sint legales ri-
gores, vel formalitates utpote quandam speciem
superstitionis redolentes pro calumniarum fomen-
to.

Obligant item aliqui appellantem infra superioris
enunciata tempora, qua fatalia nuncupantur, non
solum ad transportandum acta, sed etiam ad ulte-
riorem prosequitionem usque ad sententiam, adeo
ut sit sollicitus de cause terminatione; Verum in
Curia, in qua non admittitur dispositio juris civi-
lis super pereemptionem instantie, sed proceditur
cum iure canonico, quo attento instantia est perpe-
tua; Vel nunquam; Vel nihil raro datur casus
rei judicata, ob hujusmodi desertionem, cum suffi-
cient tales quales diligentia, neque ex facto Judi-
cis, qui causam non expediatis appellans tenetur, ut
alibi advertitur.

Et quoniam quandoque Judici ordinario, vel
delegato injungi solet, ut cum voto alterius Judicis
vel Tribunalis procedere debeat, ut frequens pra-
xis docet in Tribunalis A.C. vel in illo Vicarii, ac
etiam quandoque in Camera, vel in foro capitolino,
quod mandatur procedi cum voto, vel de voto Ro-
te; Cadere solet quæstio, an ab hoc voto, quod per
Rotam datur publicè, prævia unius, vel plurium
decisionum editione, licitum sit appellare; Proba-
bilior autem, magisque in praxi recepta est opinio
negativa; Et rationabiliter quidem, quoniam effec-
tare processum in insuitem, ac propter ea sufficere
debet sucebunt facultas appellandi à sententia,
qua ad formam voti proferenda est. *Sarasin. feu-*
di 3. Iuli 1641. coram Pirovano, talisque est Curia
praxis.

De Restitutione in integrum adversus
rem judicatam; Ac etiam de reme-
dio nullitatum.

S V M M A R I V M.

DE remedio nullitatis, & rei indicante, ubi cesset
illud appellationis.

Non competit illud restitutionis ubi competere
potest alterum nullitatis, quia non datur reme-
diū extraordinarū, ubi sufficit ordinariū.

3 De nullitate, agendo, potest opponi intra triginta an-
nos, sed excipiendo perpetuo.

4 In

- 4 In Urbe solum per annum ex statuto.
 5 Quod in Curia non soleat disputari principaliter de
 de remedio nullitatis, & quare.
 6 Sed adlibetur remedium manutentions, & derati-
 one.
 7 De frequentibus disputationibus nullitatem in S.
 Concilio Neapolitano, & de ratione, & de illis les-
 gibus, & pragmatis de super editis.
 8 De remedio restitutionis in integrum, & distingui-
 tur casus exequitionis facta vel facienda, & de
 casu in quo non sit facta, sed res est integ-
 gra.
 9 De casu in quo sit facta, & pretendatur iniustitia
 notoria quomodo sit consultum.
 10 Qualis iniustitia requiratur, vel sufficiat ad effectum
 restitutionis.
 11 Quare res iudicata in Curia modicum producat
 effectum.
 12 Et de eodem circa tres conformes.
 13 Restitutio in integrum suspendit sententiam eo modo
 quo facit appellatio, & de effectibus exinde resolu-
 tantibus.
 14 Intelligitur re integrum, non autem ubi cepta sit ex-
 equatio.
 15 Et quando dicatur cepta ex ministerio legis.
 16 De eodem ubi exequatio exigit factum homi-
 nis.
 17 In odium impeditis habetur pro cepta, sive ex alio
 impedimento.
 18 Quando Signatura soleat rescribere de restitutione,
 etiam cepta exequione.
 19 De differentia inter restitutionem in integrum ad-
 versus simplicem rem iudicatam ob defectam ap-
 pellationis, & ubi tres conformes, & quando isto ca-
 su nil recribendum sit.
 20 De eodem, & de casibus, in quibus simpliciter rescri-
 bendum est affirmativè, vel negative.
 21 An restituto in integrum admittatur in novis.
 22 In Curia non admittuntur nullitates, nisi tres sub-
 stantiales iurisdictiones, citationis, & manda-
 ti.
 23 De eodem, & quando istae adesse dicantur per equi-
 pollens.
 24 De defectu mandati, vel quod sententia latet si contra mortuum.
 25 An ob defectum citationis, vel ob aliam nullitatem
 cum uno, corrutat totum iudicium etiam cum con-
 sortibus citatis.
 26 De eodem, an scilicet defectus citationis haben-
 tis interesse consequitivum, causet nullita-
 tem.
 27 De distinctione quod alter est defectus ad effectum
 nullitatis actus, & alter ad effectum praedi-
 ci.

DISC. XXXVIII.

Postquam, ob non interpositam appellationem
 infra legitima tempora, vel ob eam non prose-
 quuntam, ac desertam, sententia fecit transitum
 in judicatum, sive quod tres conformes, vel qualitas
 commissionis, appellatione remota, aut aliæ cir-
 cumstantiaz, prohibeant ordinarium remedium ap-
 pellationis; Adhuc tamen, duo alia competit re-
 media; Unum scilicet etiam ordinarium, nullitatis;
 Et alterum extra ordinarium, restitutionis in inte-
 grum.
 Istud vero posterius, subsidiarium in jure dicitur
 illudque non intrat, quando suppetat primum, ex
 generali propositione, quod non intrant reme-
 dia extraordinaria, quando ordinaria ha-
 Card. de Luca de judicis & judicialibus.

beantur in relatione Curie disc. 30. Merlin. dec. 1. nu-
 3. ubi quod non intrat restitutionis remedium, ubi ad-
 est istud nullitatis. Itaque propositio generaliter in-
 sinuata est, agendo de Tribunalis Signatura Gratia,
 quoniam ubi à Papa tanquam à supremo Principe
 petatur aliquod remedium exorbitans, sive extra-
 ordinarium, dignoscatur autem, ut cum ordinario
 remedio consultum remanere valeat, tunc petitis
 annui non solet, quia non debet.

Super hujus ordinarii remedii nullitatis compe-
 tentia de jure, Agendo, terminus trigesima annorum
 prafinitus est; Excipiendo autem, est perpetuum
 ex regula, quod ea quae agendo sunt temporalia,
 excipiendo sunt perpetua. Cap. Latr. cons. 6. Ca-
 valer. dec. 270. Buratt. dec. 070. & 823. dec. 240.
 par. 5. rec. cum aliis de quibus infra.

In Urbe vero, & districtu, quoad Tribunalia, &
 personas, cum quibus ciuii Statuta servanda sint,
 terminus annorum trigesima, ad annum tantum re-
 dactus est; Nisi nullitas habeat spolium admixtum,
 Cavaler. dec. 524. Buratt. & add. dec. 200. deci-
 172. par. 5. & 130. par. 7. rec. Royas dec. 168.

Verum in Tribunalibus, Rota, & Auditoris
 Cameræ, & aliis, que Tribunalia universalia Curia
 potius, quam particularia Civitatis, dicenda sunt,
 hujus remedit exercitium principaliter ab aula re-
 cessisse videtur; Quamvis enim in commissionibus,
 pro stylo, seu formulario omnia remedia compli-
 centur; Appellationis scilicet Nullitatis; Et restitu-
 tionis in integrum; Attamen quando pretendatur,
 quod obstant res iudicata, vel tres conformes, adeo-
 ux primum remedium cesseret, de tertio principaliter
 disputari solet, de intermedio autem potius inciden-
 ter; Adeò ut sepius, siveque milles in Rota dis-
 puta verum super consueto dubio, an confit de re
 iudicata, vel potius de causis restitutio in inte-
 grum, nunquam vero disputaverim, neque disputa-
 tum viderim principaliter super hoc dubio, an con-
 flet de nullitatibus; Siquidem quando sententia
 pretenditur nulla, tunc Parte ita instanti, concedi
 solet dubium, quod antiquiori tempore erat in usu,
 ab eo autem regulariter recessum est; An scilicet
 sententia sit confirmanda, vel infirmanda, ita pe-
 tendo confirmationem ex capite nullitatis; Ut etiam
 sine concessione dubii disputatur in Tribunali Au-
 doris Cameræ, sed cum eodem stylo dubii in Tri-
 bunalis Cameræ, ut agendo de his Tribunalibus
 advertitur.

Siquidem; Aut sententia est exequativa; Aut
 non; Si non est exequita, adeo ut vicit, agendo
 petat illius exequitionem contra victimi, qui Rei,
 & postfloris partes gerat, & tunc excipiendo ob-
 jici solet de nullitate, ac etiam de iniustitia, cum
 generico dubio exequitionis concedenda, vel de-
 neganda; Si vero est exequita, adeo ut vicit, me-
 diante exequitione suum obtinuerit intentum, un-
 dè propterea victimus agat pro reintegratione eius,
 quod ob talem exequitionem amisit; Et tunc me-
 lior, magisque in usu est praxis adhibendi extraor-
 dinarium, magisque summarium, ac privilegium
 remedium postflorum manutentionis, quod ex
 pluribus obiter insinuat, & particulariter actis in-
 fra agendo de interdictis postfloris, competit etiam
 adversus factum Judicis, nullum vel notoriè
 iniustum; Ac propterea ita incidenter ad effectum
 hujus remedii agitur de nullitate, cuius remedium
 principaliter intentare, malum consilium esset,
 quoniam super eius canonizatione oportet for-
 miter pronunciare, atque ab ista pronuncia-
 tione datur appellatio suspensiva, ideo-
 que opus esset expectare tres conformes,

quoniam, juxta frequentiorem stylum, etiam quartam exequitorialem, dum è converso habetur dictum aliud remedium summarium, & exequutivum quod regulariter non admittit appellationem suspenzionem, quando obtineatur juxta, eam formam quæ discursu precedenti insinuatur.

Hinc proinde sequitur, quod non audiuntur in Curia, super nullitatibus, illa adeò frequentes disputationes, quæ audiuntur, in quibusdam aliorum principatum Tribunalibus, & praesertim in Sacro consilio Neapolitano; Ob eam rationem, quod cù sententia ab eo Tribunal proferatur nomine Regio, idcirco tanquam sententia Principis, velejus Praefati prætorio, excludunt remedium appellationis, solumque supersunt illud supplicationis, vel istud nullitatis; Sed quoniam non expedit ad illud recurrere, ob formam, quæ per Jus civile in eo praescripta est; Aut quæ supplicatio C. de præcib. Imper. offer. Franch. & Add. decif. 138. Ann. & add. sing. 46. & alleg. 63. Idcirco pro frequenti praxi, super isto insitum folet magna que ac diuturne de super habentur disputationes, etiam affectata, & forsitan calumniosæ, ad moras parandas; Unde propterea, ut his occurrat, plures leges edere oportuit, prudenter quidem, ac justas, beneque ordinatas, prag. de off. Sac. Reg. Consil. Verum experientia docet cas parum proficere, atque sufficiemt medicinam malo non omnino præbere; Quod scilicet admitti non debent, nisi illæ nullitates magis substantiales, quæ proveniant ex eo, quod sententia esset contra expressum casum legis, vel contra authenticam scripturam publicam, quæ in actis existat, quod reverè ferè unquam in praxi est verificabile; Et tamen indicies de alio non disputationis, atque longissime desuper parantur mortæ, adeo ut viatori sepius victoria non proficiat, ob hujusmodi dilations.

Provisum quoque est per easdem leges, cum multis, ac pennis, adverbas Advocatos, qui irrevelantes proponant nullitates, demandando eorum subscriptionem, ac etiam depositum mulctæ, seu pecunia pecuniaris, sed neque sufficit, quoniam, in causis praesertim gravibus, expedit succumbentibus sole depositum facere, quamvis de illius amissione sint certi, ita emendo dilationes, earumque pretium solvendo.

Non audiuntur autem in Curia hujusmodi circuitus, quoniam, juxta ea, quæ enarrantur in eius relationes, agendo de Tribunalibus utriusque Signaturæ Gratia & Justitia; In relatione Curie dec. 30. & 31. Quando agitur de sententia vel decreto, de sui natura exequutivis, atque non admittentibus appellationem suspenzionem, juxta casus disc. proced. infinatos, prætendatur autem exequutionis retardatio ex capite nullitatis, vel injustitia, tunc id cum brevi, & summaria, extrajudiciali potius, quam judiciali disputatione terminatur, juxta ibi enarratam praxim.

Quo vero ad alterum remedium restitutionis in integrum, quod in Curia frequentius auditur, pro impedienda exequutione, vel effectu rei judicata, vel trium conformium; Intrat eadem distinctio supra in sinuata, inter sententiam exequitam, & exequandam; Ubi enim de exequenda agitur, ad id impedendum, obtineri solent commissiones restitutionis in integrum, super quarum concessionem, vel denegationem, sive super modo rescribendi, disputationes summariae, ac potius extrajudiciales habentur, in una, vel altera Signatura, juxta diversam eantarum qualitatem, ut ita in causis alias exequiti-

vis, ligentur manus Judicis à quo; Istoque causa formiter disputatur in forma contradictoria, an commissio peritæ restitutionis signari debeat, necne; Atque Signatura gustat de causis hujusmodi restitutionis, Sed quoniam, in causis praesertim ordinariis, & de sui natura appellabilibus, Parte non citata, & absque forma contradictoria in plena Signatura, sed (ut vulgo dicitur,) sub banca, per solum Praefectum Signatura Justitia, signatur commissione appellationis, in quibus, etiam pro communi formulario, cumulantur alia remedia, nullitatis, & restitutionis in integrum; Hinc, Appellante prosequi volente appellationem, Appellato autem objiciente de re judicata, assimi solet ista disputatio, an constet, necne, de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, ita excipi- endosive incidenter.

Quando vero agitur de re judicata jam exequutioni demandata, tunc modus disputandi, pendet à qualitate in justitia, quæ prætendatur; Ubienim illa sit adeò certa, & clara, ut notoria nomen mereatur; Et tunc imprudens consilium est recurrere ad hoc remedium, cuius canonizatio principaliter facta, remanet appellabilis, dum suppetit alterum pinguis magisque promptum, & exequutivum remedium extraordinarium manutentionis, eo modo quo supra de casu nullitatis est dictum, quoniam in justitia notoria, nullitati equiparatur, cuiusque speciem redire, etiam ad hunc effectum; aliof que similes, habetur infra in disc. 44.

Si vero in justitia non sit adeò clara, ut notoria dicivaleat, & quam practici ad differentiam appellant simplicem, sive ordinariam; Et tunc ad istud remedium principaliter intentatum recurrere oportet.

Quamvis etenim recepta sit propositio, quotidie decantari solita, quod restitutio in integrum, non datur, etiam minoribus, ac personis privilegiatis, sine lesione, quæ resultat ab in justitia, sine qua, nulla lesio adeste dicitur; In justitia vero non præsumatur, sed per allegantem probari debeat; Attamen patiter est receptum, ut non oporteat, quod in justitia sit clara & notoria, sed quod sufficiat etiam simplex & ordinaria, ita distinguendo dictum alterum pinguis magisque privilegiatum remedium extraordinarium possessorum ab isto restitutio in integrum, sive agendo, sive excipiendo ut supradicatur; Seraphin. decif. 251. Cavalier. dec. 164. Burat. & add. dec. 92. 130. & 323. Quoniam ad hunc effectum etiam nova iura admittuntur, dec. 154. p. 5. rec. dec. 169 par. 9. rec. supradic. 36.

Atque hinc manat, id quod plures alibi insinuat, quod scilicet res judicata ob non interpositam, vel defertam appellationem, in Curia quodammodo ceremonialiter videtur, atque nunquam victor rem tutum redditus ut judicato acquiescat, dum etiam post longissimi, ac penitus integrum seculi decursum, cum nimia facilitate, responderetur de causis restitutio in integrum ex capite in justitia, quæ resultare videatur, etiam in articulis dubiis, eo quia illis, qui de praesenti sedent in Tribunal, magis una quam altera opinio placeat, juxta consuetam ingeniorum varietatem, disputando de meritis cause per apices, perinde ac si ea esset nova & integra, patet ex multis casibus in omni materia, & praesertim tit. de fideicommiss. disc. 179. & tit. de Benefic. in supplemento in Nola, & in aliis.

Idque etiam praxis docet, in fortiori casu trium conformium, quarum etiam exequutio sequitur

12 sit, quod scilicet ex isto capite retractantur, cum motivis, quæ considerabilia forsitan esse possent in causa nova pro ea ex integrō decidenda, non autem ad hunc effectum, cum ita inanis, ac clusoria remaneat legis dispositio, ut per rem judicatam, vel per tres conformes, lites finem habere debeant, quoties iniustitia plusquam clara, & certa, vel nullitas contraria, non suadeat, locis citat. Et tamen praxis docet contrarium; Ideoque commendando in multis, Cut decet) Curia stylum, qui commendatione quidem est dignus; In hac tamen parte, nunquam illum commendare potui.

Quatenus itaque pertinet ad effectus huius re-medi restitutionis in integrum, super quo commissio signata sit; Regula est, quod illa operatur eodem effectus, quos operatur appellatio, circa sus-pensionem sententiæ, ut interim circa vitium atten-tatorum, ad cuius exequitionem procedi non valeat. *Rosis decis. 325. Coccin. doc. 1758. Buratt. & add. dec. 504. & 604.* Ac etiam ut integrum sit succumbens, qui est in possessione, suspendere petitorum, atque priusquam disputetur, & decida-tur, an locus sit restitutio nō necne, petere manuten-tionem in sua possessione, vel quasi; Ubi præser-tim agatur de illa in exigendo aliquam pra-es-tationem, ut frequentius in pensionibus ecclesiasti-cis, ac in censibus aliisque similibus, praxis do-cet; Eodem modo quo suspensa una, vel etiam plu-ribus sententiæ per appellationem, id conceditur, cum hoc remedium in quacumque instantia inten-tari possit, *Buratt. & add. decis. 604. & 823. Peu-tinger. dec. 277. 295. & 329. & sapius.* Cum alii ef-fectibus, qui resultant ex appellatione cui hoc re-medium restitutionis in integrum exequatur.

Procedunt autem haec, re integra, & quatenus se-quuta non esset, imò neque coepita exequatio, isto enim casu huius remedi intentatio, vel commissio, suffragari quidem potest in devolutivo, sed non sus-pendit, neque impedit jam ceptam exequitionem, perinde ac si commissio signata esset cum clausula fine prejudicio legitime exequitionis, cum isto casu lex eam subintelligat, *Mantic. dec. 219. Cavalier. dec. 153. & 281. Buratt. & add. decis. 268. 597. 868. & 945. Bich. decis. 344. Rovit. decis. 91. & communiter.*

Quæstiones autem cadere solent, super huius li-mitationis verificatione, seu applicatione in concreto ad casum, dum de illius veritate in abstracto non dubitatur; Quando scilicet exequatio capta dicatur, si ea naturaliter, ac de facto adhuc effectua-ta non sit, sed prætendatur intellectualiter, ex sola fictione, seu dispositione legis; Ubi enim adest na-turaliter, & de facto, tunc nulla cadit ratio dubitan-ди.

In hoc autem pro scribentium consuetudine, dignoscitur opinionum scissura, quæ concilianda venit cum distinctione inter illas res judicatas, quæ secum trahunt exequitionem ministerio legis abso-lute, que alio facto hominis, & illa qua isto facto indi-gent; In prima enim specie, dicitur non solum cap-ta, sed etiam perfecta exequatio, dum lex illa perficit, eo ipso quod res judicata sequitur; Ut, juxta unam opinionem, quæ probabilis videtur, verifica-tur in sententia absolucionis postessorum bonorum, que sunt in lite, sive illius qui alicuius oneris, vel servitutis debitor esset, quoniam sibi im-putari non potest, cur negligens fuerit in exequitionis saltem initio, per quod huic impedimento ocul-currere poterit, late apud Peutinger, dicta decis. 329. ubi concordantes.

Ubi verò agitur de altera specie rei judicata, cuius exequatio indiget factio hominis, ut contin-
git in illis sententiis, quæ prodeunt favore credito-rum, vel aliorum Actorum, qui ab alio petunt id,

quod non habent in manibus; Et tunc certa regu-la desuper statui non potest, cum totum pendeat à Tribunalium stylis; In aliquibus enim Tribunalibus, attenditur veritas naturalis, ut scilicet exequi-tio verè, ac de facto capta sit, ideoque requiritur a-ctus realis exequitionis; In aliis autem, cepta dici-tur per solam eius petitionem sive per relaxatio-nem exequitorialium, ut est stylus Rota; Aut per mandatum de parendo, ut est stylus S. Concilii Neapolitani, *locis proximè citatis nu. 14.* Cum simili-bus, pro locorum, seu Tribunalium usu, cui in hoc deferendum videtur, quatenus de illo bene con-stet; Sin minus in dubio procedendum videtur cum regula generali, desiderante veritatem natura-lem, de facto; Quoties tamen eiusdem facti circum-stantiae non exigant, ut a ctus habendus sit pro cap-to, ac sequito, quia nempe objici non valeat victori cur negligens, seu magis sollicitus non fuerit, sed potius provenerit ab impedimento, quod verè vel præsumptivè constet præsumit esse ab eo, contra quem exequio facienda erat, juxta proximam fre-quentem illius impedimenti, quod haberis solet à re-curribus ad laicos, ex pluribus insinuata vera proposi-tione, quod in odium impudentis, a ctus habendus est pro jam facto, *supra disc. 19.*

Quinimò in facti contingentia dicebam, ut idem dicendum esset, quando, non adiungit quidem impe-dimenta positiva particularia, quæ crimen alterius Partis, expressum, vel præsumptum redoleat, ut in recurribus contingit; Sed sit illud impedimentum generale, quod licet sine facto culpo alterius Partis, pro locorum legibus, vel moribus sequatur, ad-huc tamen in puncto juris indebitum dici valeat, ita & taliter quod justè excusatum reddat victorem à negligenti; Ut exemplificari potest in eo casu, quod victor à Tribunalis Auditoris Camera, vel ab alia judice in Curia, obtinuerit (servatis servandis) mandatum exequitorium, quod ex dispositione juris, esse promptè exequibile, sed ab eo a ctu abstinere congruit, ad evitandas molestias, quæ à secularibus Magistratibus inferri soleant, etiam ex officio, & altera Parte non instante, quando mandata, aliae-que expeditiones Curia, exequitioni demandentur sine iporum assensu, vel sine concessione brachii, aut sine exequitoriatione, quæ aliquando longas moras parere solet; Siquidem, ubi etiam altera pars victa, esset excusabilis à quocumque delicto, vel cul-pa; Adhuc tamen, exculcanda est Pars viatrix, ad istum effectum, quoniam; Aliud est agere de recurribus prohibitis, ac penalibus, ad effectum pena-rum illatarum contra recurrentes; Et aliud est age-re de excusatione victoris, ratione impedimenti, quod ita patitur; Potissimum, dum moræ, aliquando (& forte frequentius) provenire solent ab altera Parte, indirecè, seu mediata, cum occultis diligentiis; Ideoque si istud impedimentum dicendum non est, quod redoleat speciem recursus; Adhuc tamen ex quadam paritate rationis, illi tribundus videtur iste effectus, ut ita vietus, sciens quod istud impedi-mentum sibi profutrum non sit, ad istam cautelam non cogitet, neque recurrat.

Præmisæ autem disputationes cadunt, quando agatur de commissionibus restitutionis in inte-grum, quæ in forma non contradictoria, signate fuerint per Prefectum Signaturæ justitiae, ut vul-gò dicitur, sub banca, ideoque agatur de effecti-bus

bus, qui ex dispositione juris ex huiusmodi commis-
sione reflent, ex regula quod huius Tribunalis
commissiones & rescripta intelligenda veniunt pro-
ut de jure, cuius dispositioni dispensandi potest-
tem non habet, ut dici potest de Signatura Gratiae,
juxta distinctionem alibi datam, agendo de uno,
ac altero Tribunalis, *supra dicto discurs. 30. &*

31.

Quandoque vero, imò frequenter, visor, qui
rem judicatam, vel tres conformes pro se habet, se
opponit concessioni huiusmodi commissionis; Si-
ve quod ex officio illam respuat Revisor, aut signare
velit commissionem cum clausula præservativa ex-
equitionis rei judicata vel trium conformium, id-
que vi etus abhorreat, ideoque negotium remittatur
ad plenam Signaturam, in qua formalis contradic-
toria disputatio assumatur super modo rescriben-
di; Et tunc, cum per visorem, qui se opponat com-
missioni, deducatur status, in quo causa reperiatur,
& an dici valeat, nec ne cæpta exequatio, quæ di-
ctum effectum impedit; Hinc sequitur, quod si
hoc non obstante, Signatura rescribit de commis-
sione simpliciter, vel cum clausula translativa, juxta
plures referibendi species recensitas agendo de hoc

32. Tribunalis, negligendo formulam consuetam re-
scripti præservativi exequitionis; Et tunc deferen-
dum est iudiciorum Signatura, quæ declarat causam,
dignam restitutione, vel discussione an ea conce-
denda sit, cum effectu interim suspensivo, ideoque
supradictæ questiones non intrant; Ut è converso
cessant quando rescribat cum clausula præservati-
va, quoniam etiam post cæptam, sed adhuc non con-
sumatam exequitionem, rescribi solet de clausula
translativa, vel suspensiva; Puta, Alteri qui ad legi-
nam; Vel alteri qui ad ultiorem, cum similibus;
Atque ad hunc effectum, in isto Tribunalis disputari
solet de justitia, & de meritis negotii principalis,
summariæ ac in forma extrajudiciali, perinde ac si
coram judice, quanvis non judicit, pro gustu scilicet
et justitia vel in justitia, quæ pretenditur, ad effec-
tum regulandi formam rescribendi quæ ab hoc
pendet.

Magna vero constituenda venit differentia, in-
ter illam restitutionem in integrum, quæ petatur
adversus rem judicatam resultantem solum à non
interposita appellatione in tempore, sive ab eius de-
sertione, & sic ex causa solius negligentia, quæ non
accidente integra remaneant, una, vel plures in-
stantie, in quibus etiam ex simplici, & ordinaria
injustitia, quæ reflent à majori vel minori proba-
bilitate in questione dubia, sperari debuit sit infir-
matio sententia JUDICIS à quo; Et alterum casum;
in quo restitutio petatur adversus tres conformes;
Siquidem, ut in facti contingentia plures adver-
tere consuevi, clarum videtur æquivocum, istos
casus parificare, atque cum illis traditionibus, vel
propositionibus, quas habemus in primo casu, pa-
riformiter, atque cum solita cœca fide procedere
altero; Ex ea differentia ratione, quod in primo
casu agitur de restitutione adversus dictam negli-
gentiam, quæ ut plurimum est potius Causidicii de-
fenoris, quam ipsius principalis, quodque ista res-
titutio est cognita à jure communi, atque ab eodem
permitta; In altero autem, est incognita, imò pro-
hibita, dum lex civilis, à qua non discordat canonici-
a, disponit, ut tres conformes, omnimodum finem
similibus imponant.

Rescribere autem adversus eas de restitutione
in integrum, provenit potius ex stylo Curia, fun-
dato in quadam aequitate, quatenus tales accedant

circumstantiæ, ut illa probabiliter intret, quia nem-
pe, ob instrumenta, vel alia jura denuò reperta, cau-
sa mutet faciem, sive quod per meliores defensores,
ad nova, facti, vel juris advertatur motiva, qua
conset non fuisse deducta, nec discussa; Vel quod
sint tres conformes latæ in contumaciam; Aut cum
tali Procuratore, quem conset, quod non bene
ejus partes expleverit, juxta frequentem contin-
gentiam, cum similibus circumstantiis, ex quibus
reflutat quedam probabilis æputa, cui iste stylus
innititur; Unde propterea quando nihil deducatur
de novo, atque conset, quod ea, ex quibus injustitia
desumitur, fuerint iam deducta, & discussa, quam-
vis talia esent, ut causam ita dubiam reddent, quod
fortè sires esset integra, probabilius pro ista potius,
quam pro altera parte iudicandum esset, non tamen
id sufficiens reputari debet pro huiusmodi concep-
tione restitutionis in integrum; Siquidem in hoc
propriè consistit effectus, vel operatio trium con-
formium, quod ob unionem tot iudiciorum in
idem, ita in casu ambiguo quedam statuitur veritas,
nisi de magna huiusmodi iudiciorum irrationalibili-
tate conset; Et consequenter, ut non solum rescri-
bi debeat de clausula præservativa exequitionis, de-
negando effectum suspensivum, sed etiam, ut cum
omnimoda denegatione, nihil rescribendum sit, ut
plures obtinuerint *præseri in casu de quo sit de matrim.*
disc. 5. &c. in aliis.

Potissimum vero, ubi agatur de illis causis, in qui-
bus mora irreparabile caufet præiudicium, atque
incongruat temperamentum, per quod utrique
Parti consuli solet, rescribendi ad solum devoluti-
vum non autem ad suspensivum, ut ita visori non
denegetur exequatio, yicto autem superest spes eius
retractionis; Puta in causis matrimonialibus, in
quibus agatur de feedere matrimonii, et insque vali-
ditate, vel nullitate, sive in aliis causis pariter ma-
trimoniis spiritualis, nempe nullitatis professionis,
quoniam ille vir, vel mulier quæ pretendent nullita-
tem matrimonii carnalis, vel spiritualis ad effectum
se liberandi ab isto vinculo, & acquirendi liberta-
tem contrahendi aliud matrimonium, irreparabile
patitur præiudicium ex dictis moris, cum ita laba-
tur artas matrimonio, ac filiorum procreationi apta;
Neque congruit præservare exequitionem, re-
linquendo caufam adhuc vivam, quoniam permit-
tendum non est, ut illa mulier, quæ ita licite cum
alio viro se copulavit, in progressu causæ, ex hoc re-
medio declarari valeat uxor alterius, *juxta dictum casum, de quo disc. 5. de matrimonio.* Sive quod ille
religiosus, qui in vim dictæ clausula præservativæ
exequitionis, licet regresus est ad sacramenta, atque
uxorem duxit, ac filios procreavit, declarari pos-
sit religiosus, & bene professus, cum obligatione
redeundi ad claustra, declarando illam mulierem
concubinam, ac filios sacrilegos, & incestuosos, cum
similibus.

Ideoque rescriptum participare debet de utro-
que extremo, vel scilicet de nihilo, vel de toto; Sed
quia unum, vel alterum, productum dictum præjudi-
cium irreparabile, idcirco nimium circumspecte
procedendum est; Et per consequens, clarus error
videtur, generaliter ac indefinite attendere propositionem
supra insinuatam, quod scilicet, ad effec-
tum restitutionis in integrum, necessaria non sit
injustitia clara, & notoria, sed quod sufficiat sim-
plex & ordinaria, quoniam id recte procedit in pri-
mo casu simplicis rei judicata, quæ resultat à negle-
cta appellatione, vel eius prosequitione; Sive ubi
de illa re judicata, quæ resultet à rescripto Princi-

pis

pis, vel à conventione Partium adimente facultatem appellandi, non autem in alio casu trium conformium; Et tamen plures in facti contingentia oportuit multum laborare, atque, ut vulgo dici solet, pati sudorem sanguinis, ut caperetur ista distinctione, qua (pro meo saturnali sydere) ratiociniis, & acuminis referri solebat, eo quia non haberetur doctrinella alicuius contemptibilis Doctoris, qui hanc distinctionem traderet; Talis est huius facultatis miserrima conditio.

Disputari etiam solet in hac materia restitutio-
nis in integrum, an pro ea sufficiente nova jura, ex
quibus in iustitia rei judicatae resulteret; Atque ali-
quando per Rotam firmatum fuit, ut etiam ex no-
vis huic remedio locus fiat, Duran. decif. 137. decif.
169. & 483. par. 9. rec. Coccin. 56. Royas decif.
372. & infra decif. 40. Atque ita cum confucto de-
plorabili incepto stylo, generaliter processum se-
pius vidi; Verum id recipiendum venit, quando re-
integra agatur ad effectum impediens exequitionem; Et in his terminis, atque ad hunc effectum
loquantur decisions, & auctoritates, à quibus ista
propositio derivat; Secus autem ubi ad effectum
retractandi exequitionem jam consummatam in
præjudicium tertii, vel etiam eiudem colligantibus,
qui tertii figuram faciat; Ex ea clara ratione, quod
sufficit recte processum esse, iuxta ea, quæ erant in
actis, neque Judicii, vel viatori imputandum est,
multò minus tertio, cur ita gestum sit, sed potius im-
putandum est eidem vieto, cur magis diligens non
fuerit; A deo ut detecto polimodum indebet, dabi-
tur quidem ei, qui exequitionem passus est, actio
contra creditorem ad reintegrationem pretii, vel
eius quod interest, non autem contra tertium pro
vendicatione rei subhastare, vel retractatione eius,
quod gestum est, cum sufficiat, ut tunc bene, ac legi-
time gestum sit, Franch. decif. 120. Royas decif. 236.
Quoniam ubi etiam defupi non habemus au-
toritates, vel rationes legales, id doceret ad clarum
sensum, ipse naturalis discursus.

Quatenus vero pertinet ad aliud remedium nullatum; Per Apostolicas Constitutiones, super
Tribunalium reformatione editas (nimium quidem
commendabiliter) refecata sunt, illa scrupulose
nullitates, quæ ex legum subtilitate, vel rigoroso
practicorum superstitionibus, ac formalitatibus
proveniunt; Ideoque in Curia non attenduntur,
nisi tres resultantes à tribus defectibus substantia-
libus, nempè; Jurisdictionis, Citationis, &
Mandati, Buratt. & add. decif. 337. & expresse dispo-
nitur in Confit. Pauli V. super reformatione Tri-
bunalium, ideoque apud Practicos est nota-
rum.

Non tamen opus est, ut clarè, ac directè iste de-
fectus verificetur, quoniam ubi etiam à paritate raz-
tionis, vel per illationem, ab eorum aliquo defumi
valeat, quod nullitas sit substantialis, ac notabilis,
deo ut non intret ratio, cui dictæ Constitutiones
innixa sunt, refecandi scilicet nullitates, leves ac re-
sultantes à legum subtilitate, vel rigorosa formalita-
te, adhuc attendi debent, Buratt. & add. dicta decif.
337.

Super eis autem, certa & generalis regula statui-
non potest, cum totum pendeat ex singulorum ca-
suum circumstantiis; Puta (quoad defectum juris-
dictionis) an, & qualis sit Judicis incompetentia,
de qua oppositum fuerit, vel opponi oportuerit, si
ve super eius jurisdictionis expiratione, aut super
ea carentia, quam lex inducit, in modo seu ordine
procedendi, prius scilicet Parte instantie in possesso-

rio quam in petitorio, sive prius in purgatione at-
tentatorum, quam in cognitione negotii principa-
lis, aut ob clausulas præjudiciales, sive ob non ad-
impletam prius conditionem, sub qua per ablatis
cum absolutum jurisdicção concessa sit, cum simili-
bus.

Et quoad secundum defectum mandati; Pendet
pariter ex facto, an ille procurator, cum quo judi-
cium initum est, sit verus, vel sufficenter præsum-
ptus, aut è converso falsus, vel revocatus, & an revo-
catio fieri potuerit, nec nè, vel male constitutus, vel
an mandati leges servaverit, cum similibus.

Et quoad tertium defectum citationis, non so-
lum pendet à facto, an illa adsit, nec nè, sed etiam à
jure, an ea, quæ existat, sit legitima; & talis, ut suffi-
ciat, Puta in loco domicili, vel in aliis locis con-
suets contra eum, qui tunc mortuus eset, quod pen-
det ab inspectione, an mortis scientia adficeret in Ju-
dice, vel in Parte; Sive ubi de citatione pariter de-
functi cum procuratore domino litis effecto, supra
decif. 6. & 9. Aut cum citatione minoris, vel alterius,
cui admodum congruat ratio absque legitima deputa-
tione curatoris, qui curam suscipiat, ac etiam cau-
sam bene defendat, cum primum sine altero non
sufficiat, ibidem, cum similibus de quibus supra in suis
respectivè sedibus, vel rubricis.

Quinimò sapis contingit, ut unus ex his defe-
ctibus, qui vigeat respectu unius, influat in totam
causam, atque producat nullitatem, etiam respectu
consortis, cum quo talis defectus non vigeat; Puta
(pro frequentiori contingencia) quod ex omissione
citationis, vel ob alium defectum, respectu unius, to-
tum corrutum judicium, etiam respectu eius, qui legi-
time citatus fuerit; Idque pendet à natura, sive à
qualitate causa, vel sententia, an ita conexa, vel in-
dividua sit, ut vitium in parte, influat in totum, ideo-
que utile per inutile vitietur, vel potius dividuitas
contrarium suadeat, supra decif. 9. & 19.

Et è converso, etiam frequenter disputatur, an
huiusmodi defectus respectiva, negligi mereantur,
deo ut res judicata, quæ cum uno legitime prodie-
rit, afficiat alium, quanvis non citatum, sive illi ju-
dicis non subjectum, juxta distinctiones alibi insi-
nuatas, quia nempe lata sit cum legitimo contradi-
ctore, cuius proxima, & immediata sit causa defen-
sionis, ideoque afficiat de consequenti alios, quo-
rum jus vel interesse non sit immediatum & co-
uale, sed mediatum, vel consequitivum; Puta in
successore in feudo, vel in fideicommissio, sive in
Prælatura, vel in beneficio, aut officio, vel in subdi-
ctis, & dependentibus, juxta alibi insinuata exempla,
dicto decif. 9. & 36. & 40.

Item quoad huiusmodi defectus, illos praesertim
citationis, vel competentiæ Judicis, reflectendū est,
quod; Alter est defectus, ad effectū nullitatis judicij;
Alter vero ad effectum cessantis præjudicij, siquidem,
stans simul, quod res judicata sit valida, & fir-
ma cum eo, cum quo sequuta est, suumque fortiorum
effectum, seu mereatur exequitionem; Et tamen
quod non præjudicet alteri; Puta habenti coequa-
le, ac praesentaneum interest, ejus jura integra, &
salva remaneant; Sive quo ad illum, qui habeat in-
teresse mediatum; Qualis (ex. gr.) Jeff defensor ne-
cessarius ad evictionem obligatus, quoniam stant
simul, ut res judicata obtenta contra possessorem
immediatum subsistat, suamq; faciat operationem;
Et tamen illi, qui eam passus est, denegetur actio e-
victionis contra suum auctorem, ex defectu denun-
ciationis, quies clara, & evidens iuslitia evictio-
nis, illius necessitatem non tollat, seu defectum non
suppletat

suppletat, cum similibus, de quibus in suis respective sedibus; Ac propterea (ut præmissum est) non de facili, certa regula generalis desuper statui potest, cum ex facti circumstantiis totum pendeat, acci-
tiam ex Tribunalium stylis-

De condemnatione, ac restitutione,
vel refactione fructuum, & expensa-
rum, seu damnorum, & interesse
&c. Et de sportulis vel propinis.

S V M M A R I V M.

- A**ppellatio à condemnatione, vel liquidatione fructuum, vel expensarum suscitare solet causas iam finitas in negotio principali per rem judicatam, vel per tres conformes, dum in his luer appellare quamvis non esset licitum in negotio principali.
- 2 Quod à liquidatione detur appellatio, & quomodo restricta in Curia.
- 3 De inspectionibus que cadunt in materia.
- 4 Prohibita appellatio à negotio principali, non est prohibita ab expensis, vel fructibus, & hac non ve-
nient sub clausula parito
- 5 Fructus post malam fidem, & expensæ debita in ra-
tione damnorum, & interesse debentur, quamvis index non condemnaverit.
- 6 Qualis effectus resultet à facta, vel respectivè omis-
sa condemnatione.
- 7 Ab expensis iudicabilibus iusta causa litigandi excus-
sat.
- 8 Ab omissa condemnatione iistarum expensarum non
datur appellatio.
- 9 An valeat absolutio conditionalis, quatenus pictus
acquiescat.
- 10 In Curia de stylo sit condemnatione semper ad expen-
sas, & non practicatur conclusio de qua num. 7. ac etiam fructuum à die motæ litis.
- 11 Quod iste stylus circa expensas non videatur proba-
bilis.
- 12 Quando deferri debeat stylus, nec ne.
- 13 Condemnatione fructuum à quo tempore fieri debeat, referuntur plures opiniones, & que placeat.
- 14 Quia bona fides excusat à fructibus.
- 15 De fructibus ad quos fieri debeat condemnatione etiam ante motam litem.
- 16 Declaratur, quomodo practicari debeat regula de
qua num. 10. & in condemnatione fructus veniant
à die motæ litis.
- 17 De expensis iudicabilibus, que veniant in condemna-
tione, que sint.
- 18 De stylo Rota non concedendi refactionem propin-
arum.
- 19 An resci debet illa propina, & expensæ, quas nō oportebat facere, vel oportebat etiam sine oppositione colligantur.
- 20 Sive an illa, que necessaria sint pro legitimatione, vel
qualificatione persona.
- 21 An pro expensis, quas creditor anterior faciat, ha-
beat eamdem anterioritatem.
- 22 An reficiantur illa expensæ, que debuissent fieri, sed
victor verè non fecit.
- 23 An præzendivaleant sportula, si post causam iusfru-
ctam causa concordetur, vel renuncietur liti.

- 24 De Advocato, vel procuratore obtinente salarium
consuetum, si causa concordetur.
- 25 De contributione habentium interesse in causa.
- 26 An Civis, vel Canonicus contribuat in expensis litis,
quam habeat Civitas, vel Capitulum cum se ipso.
- 27 De expensis extra iudicabilibus, vel mortuis, quando
resci debent.
- 28 Ille qui negligit opponere fori declinatoriam, tenetur
ad expensas, & quando secus.
- 29 Antenatur quis ad fructus etiam antequam con-
stitueretur in mala fide, eo quia postea item susci-
tuit.
- 30 De restitutione fructuum percipiendorum, quos
victor potuisse percipere, licet Viator non percepe-
rit.
- 31 De alio casu refactionis omnium expensarum fa-
cienda mandatario, vel administratori, aut ne-
gotiorum gestori.
- 32 De usu propriarum qui damnatur, & de inconve-
nientibus, que exinde resultant.
- 33 De summa propinarum.
- 34 Quod Papa supra unnes alios Principes habeat
bonos, & gravatos ministros.
- 35 Improbantur etiam participationes pœnarum, &
incarcerationum.
- 36 De liquidatione fructuum, & expensarum.

D I S C . XXXIX.

Cum posita re judicata exequibili, adeo ut nullum ex præmissis, ordinariis, vel extraordi-
nariis remedii, amplius suppetat, circa ipsam
rem principalem in iudicio deductam, remaneant
iudicij appéditia, circa fructus interim liti pendente
decorüs, ac etiam circa eiusdem litis expensas,
aliave dama, & interesse; Hinc proinde, post jam
finitam item in negotio principali, super huiusmodi
appendicis, vel consequitivis, non solum cadunt
quaestiones, sed adhuc durant lites; Idque aliquando,
ob varietatem ingeniorum, à qua prodeunt omnia
litium mala, & inconvenientia (quibus impossibile
est occurre, cum sit defectus naturæ), sequuntur
interim mutationes eorum, ex quorum iudicio prodiit
judicatum, ita istud, etiam post executionem
retractari solet; Sæpius enim, atque inde contin-
git, ut denegata appellatio, ac etiam restitutio
ne in integrum, à re judicata, live à tribus conformi-
bus, vel à quarta exequitoriali; Adhuc tamen sup-
persit, & committitur appellatio à condemnatione
fructuum, vel expensarum, quæ in una, & non altera
sententia continetur, unde propterea non ve-
rificantur in negotio principali, & per consequens in-
trat dicta apellatio, Gregor. de i. 232. de i. 379.
par 9. rec. Sive quod appellatio interponatur ab ex-
cessiva taxatione, vel liquidatione, tam fructuum
quam expensarum, unde propterea signari solent
commissiones, cum rescripto ab excessiva tantum,
&c. Istaque occasione, reviviscere solent cause penè
mortue, dum etiā à liquidatione datur appellatio,
qua tamen in Curia per Constitutiones Apostolica-
cas est restricta, ut liceat semel tantum, ut preservem
in causa de quo tit. de s. idemmiss. dist. 179.

Quatenus itaque ad hujusmodi incidentia, seu
consequitiva pertinet; Dua cadere solent inspec-
tiones, quæ forensibus quaestionibus ansam præ-
bent; Primo nempe, an fructus & expensæ respe-
ctive, resci debent, quamvis in sententia, quæ in
iudica-